



## Contenta.

1. Lassenij 23. negotia Rhein
2. Spicelij de Atheismi radice
3. D. Justi Gesenij, Buchlein  
von einer Verhandlung von  
Gottes Natur.
4. S. Anastasij, et Cyrilli  
Alexandrini compendii  
aria orthodoxe fidei  
expositio ex B. Heneli  
Episcopi Ravennae & Epistola in  
qua Precepit Arianis objectum  
contra divinitatem filij docte confu-  
tantur.
5. Quistorpij Quæstio hymnica  
Ulrum sine læsione con-  
scientiae, pro salute seu in-  
sanitate aliorum, libere li-  
ceat.
6. I. Avianij Adamus lapsus.  
Tragœdia nova.

84

Samuelhart.

27









2.

1

THEOPHILI SPIZELII  
DE  
**ATHEISMI**  
**RADICE,**

Ad  
*VIRUM NOBILISS. &*  
*AMPLISS.*

Dn. D. HENRICUM  
MEIBOMIUM  
EPISTOLA.

AUGUSTÆ VINDELIC.  
Apud Gottlieb Göbeln / M. DC. LXVI.

Ms. A. 156

[gottlieb Spitzer]



V I R O

N O B I L I S S . A M P L I S S . &  
E X C E L L E N T I S S .

D N . H E N R I C O  
M E I B O M I O ,

D O C T O R I M E D I C O , E T I N  
A C A D E M I A J U L I A P R O F . P .  
C E L E B E R R I M O , &c.

T H E O P H I L U S S P I Z E L I U S

S . P . D .

Uamvis jucundissimam ex-  
eā, quæ Tecum mihi quon-  
dam Lugduni Batav. (cum  
sub eodem contubernio  
viveremus) constituta est  
consuetudine, acceperim voluptatem;  
haud leviorem tamen felicitatem non a-  
deò pridem Tuæ illæ gratissimæ attule-  
runt literæ, quæ cœptam olim amicitia  
nostræ telam instaurarunt, & in eam stu-  
diorum partem me rapuerunt, unde con-

A 2

sulto

sultò jam diu pedem retuleram, experien-  
tiā nimirum edoctus, quod ad scripta se-  
culo hoc evulgata ex Talmudis tractatu  
de Sabbatho fol. 32. col. 1. alicubi accom-  
modat Magnus Buxtorfius :

**ארם יוצב** לשׁוֹק יְהוָה לְעִירָיו בַּמִּן שְׁנוּמָסֶר : Hoc est : *Homo prodiens in  
forum (vel in publicum) est in utulis suis  
quasi tradendus lictori ; quandoquidem  
ut Glossator ibi habet R. Salomo :*

**מצווים** שם מוריבות ובעל רינוי : כותרים וישראלים : Reperiuntur illic  
contentiones, hominesq; litigiosi, ram ex  
Gentilibus, quam ISRAELITIS. Accidit sane idem ( laudato Buxtorfio in  
Vindiciis Histor. S. Cœnæ adversus Ca-  
pellum O. II. observante,) exulcerato  
hoc seculo quamplurimis, qui scriben-  
do prodeunt in publicum , ut hoc ipso  
publicæ se exponant aleæ , nihilque ha-  
beant aliud, quod expectent, quam non  
necessarias disputationes,lites,controver-  
sias ; idq; non solum כותרים professis  
hostibus & adversariis, sed & ab ישראליים  
Israélitis, h.e. AMICIS, seu orthodoxam  
Reli-

Religionem profitentibus. *Landis verò nihil iis sperandum* (verba Cel. Vossii exemplum proprio edocti, ex præfat. Theol. Gentil, adscribo,) propter ambitiosulos istos, in strenua inertia & ingenii & facundia laudem solis sibi vindicantes, aliis relinquentes duntaxat laboris gloriam cum Arcadico ut loqui amant pecore communis.

Quamobrem multa mecum tentare ausus, perpauxilla foris nec nisi discendi causa hactenus edere constitui; cuiusmodi illud quoq; A THEISM I est Scrutinium, cuius in literis nuper ad me daris talem fecisti mentionem. *Tuus de Atheismo Liber placuit omnibus, ne de me quid dicam, qui non parum ejus premium & in Academia & in Aula excādefeci. Legerunt eum plurimi. Maxima mihi τῶν αἰδεῶν in peregrinationibus meis occurrit & frequētia & varietas, possit tamen ad illaqua Tu fecisti commodè reducere.* Quod equidem encomium tametsi nequaquam in me agnosco, gratissimam tamen scito fuisse incitationem Tuam, exquâ posthac intelligam majores mihi conatus suscipiendos,

A 3 si mo-

## 6

## DE ATHEISMI

si modo non evanescere paterer, vestram  
de studiis meis expectationem. Minime  
vero Me i bomi Excell. ignoras, istud  
(quo de scribis,) Atheismi Scrutinium  
haud æquè gratum acceptumye omnibus  
fuisse, iis præcipue, qui (verba Tua sunt)  
*forte in eononnihil perstricti, quod sunt*  
*viderinolunt.* Et quamvis in ea præfatio-  
ne monuerim, haud omnem Atheismi su-  
spicionem effugituros eos, qui libellum  
istum ferre nequirent, attamen gravem  
ac molestum non paucis accidisse, cum  
ipsa experientia aliquot amicorum me do-  
cuerunt epistolæ; quorum aliis nuper  
indicavit, Scrutinium Atheismi ab Atheo  
quodam refutatum iri publicè; Alius ali-  
os prædixit adversarios, Cartesiani videli-  
cet nominis defensores, eò quod ejus Phi-  
losophia in Academias Gallicas ut authen-  
tica introducenda, & posthac non secus  
ac apud nos Aristotelea imò multò sacra-  
tiuis sit observanda. Quæ, e; usdemq; fa-  
rinæ tela omnia veritatis clypeo munitus,  
lubenti exciperem animo, nec causæ præ-  
claræ patrocinium desererem, modo a-  
perto Marte pugnarent adversarii, nec ad  
exem

exemplum Noctuae cuiusdam utopice in arenam descenderent. Cujum sit istud pecus, an Damætæ, an Melibæi, an pastoris cuiusdam vagi, dies aliquando revelabit. Non est profecto hominis erecti, ne dum Deo sacri luto conspergere obvios, & maledicere prætereuntibus. Qui scholas suas domi perdiderunt, hoc agere solent, ut per quæstas aliorum criminaciones, alibi quæran tñovas. Menstra paridunt, qui cum ignorantia recti, invidia, suspicione malæ mentis sororibus coēunt. Illud sanè improbum, quod cum in me fugillator iste titulo quodam portentoso publicis tabellis nefariè intruso, pus suum evomere voluerit, tamen nec nōmen suum indicaverit, nec typographi, neq; ab eo tempore uspiam comparuerit. Sed maluit occultè nocere & lädere, ut inter atrocis imposturæ & audacis impudentiæ parietes furtim elabatur. Neq; aliud scrutinio quæro patrocinium, quam quod ejus suppeditat appellatio, quæ indicat clariſſimè, curam facile præcipuam meinendisse, ne quicquam in cerebro natum, aut ambiguo rumore relatum obtrudere-

A 4 tur,

### DE ATHEISMI

tur, verum clarorum virorum suff. agit  
stabilirentur omnia; Tum de apta serie,  
convenienti<sup>q</sup>; methodo fuisse sollicitum,  
quā Atheorum diversorum genera, cau-  
sarumq; distin<sup>c</sup>tarum momenta ad certas  
classes revocata, detegerentur, detecta  
tanto faciliori negotio cayerentur atque  
confunderentur. Exile fateor illud est in-  
genii monumentum, non tamen prorsus  
inutile, quo modulo meas vires unicē  
metior, qui scripta huc usq; usui potius  
quam pompa dicare constitui; & cum  
Historicum præcipue Atheismi scrutini-  
um meditatus fuerim, aliorum & proba-  
torum quidem authorum vestigiis potius  
insistere, quam temerē quicquam in tan-  
ti momenti negotio asserere volui.

Nihil autem Scriptori accidere potest  
tristius & magis lugubre, quam incurrire  
in lectorem aut nimis malum, aut minus  
amicum; Nam qui inimicus est etiam in  
scirpo nodum querit teste Hieron. ad Pam-  
mach. Et qui disceptantes habent inimi-  
citas, non judicant veritatem, ut inquit B.  
Chrysost. hom. ad Eph. Quoniam verò  
cum larvis pugnare neutiquā velim, & ad  
perpe-

## RADICE.

9

perpetuas tenebras Noctuam istam Utopicam dudum dampnaverim, verba eā de rejam facere desino.

Longè majorem observationem mereatur, quod maximam rāv a. fēav frequentiam & varietatem in peregrinationibus Tibi occurrisse nuntiaveris. Neque verò id adeò mirum mihi videbatur, postquam non unum à Te Regnum lustratum intellexisse. Probè etenim perspexisti Italiām, ipsam pietatis (si Diis placet) officiam, Angliam, omnium pestiferorum dogmatum hodiè sentinam; Belgium, fanaticorum monstrorum Africam; Galliam denique, detestanda ista lue miserè adeò correptam & corruptam, ut sola Lutetia jam quondam (Mersenno in Scrutinio laud. teste) quinquaginta atheorum millia aluerit, & nuper admodum Petrus Firminianus in Seculi Genio, horrenda planeq; stupenda de nefando quodam Atheorum in urbe Parisiensi Gymnasio prodiderit, quæ cum trita minimè sint aut vulgaria, nec Tibi, nec aliis fortè ingrata, luce denuò dignissimajudicavi.

A 5

Igno-

„ Ignota (scribit ille) vobis loquar. Et  
„ iam impia fortitudinis (h. e. nequitiae  
„ atheisticæ) schola fuit. Urbem quæritis?  
„ ea est, cui nomen seu à luto (Lutet. Pa-  
„ ris.) seu à luce rectissimè impositum, ni-  
„ hil enim illa præclarus, si fortunatum,  
„ si munerum, si ædificiorum dignitatem  
„ spectes, nihil si vias ipsas lutulentius; &  
„ paulo post: Hæc loci dispositio erat; in  
„ amplissimo cubiculo exilis lucerna no-  
„ ñtem ita amovebat, ut non tota absce-  
„ deret, lunam esse putares, orbe imper-  
„ fecto vix inter densissimas nubes palli-  
„ da cornua proferentem, nec viatoribus  
„ ita consulentem malignâ luce, ut securè  
„ possint iter capere. In cubiculo adesse  
„ non paucos plus ex vestigiis se premen-  
„ tibus quam ex aspectu aut vario vocum  
„ tenore tremens tyro agnovit. In loci  
„ ambitu cathedræ plures (inter quas una  
„ remotior, > tacentes exceperunt; ipse  
„ qui novus accedebat, amico monstran-  
„ te, in una sellarum acquievit; mox ille  
„ qui locuturus secesserat, ubi nulla exigui  
„ luminis posset timeri proditio, de DEO  
„ & providentia ita differerecepit, ut non  
fine

sine pietatis sensu audiretur ab eo, quem  
cæteri mox suum fore præmaturo gau-  
dio existimabant. Media pars horæ in  
iis quæ de DEO, de animarum immorta-  
litate de judicio futuro credimus, ferè  
consumta est, nec argumentis quibus  
religio firmaretur, deerat illa quæ affe-  
ctus movet orationis vehementia, ut ni-  
hil eorum, quæ pietatem quoquo modo  
mentibus humanis infundant, sincerus  
homo, causam ipsius agens de industria  
omississe videretur. Posthæc admiratio-  
ni datus est locus, dictumque submur-  
murantibus suffragiis : Quicquid vete-  
res Patres, quicquid omnis Theologo-  
rum chorus in hoc argumentum soli-  
dioris doctrinæ adducerent illo sermo-  
ne comprehendendi. Redditio silentio, vox  
eadem audita est, majora se verioraque  
habere professa, quæ de Religione dice-  
ret ; à commiseratione impius sermo  
incepit, pessimum servitutis genus illud  
esse, quo animus humanus cogebatur  
incredibilia credere, & quæ sentienda  
essent de DEO, ita accipere à Majoribus,  
ut nefas esset simplicissimæ ætatis pietati-

tem

„ tem vel leviter nimia credulitatis infi-  
„ mulare. Ita quemlibet hominem nasci,  
„ ut jus ad rationem habeat, nec fidei le-  
„ ges justè nobis imponi ab iis, qui ideo so-  
„ lum sapientiores existimātur, quia prio-  
„ res nati sunt. Plura dixit in gratiam li-  
„ bertatis; Inde ad argumenta illa ven-  
„ tum est, quibus oppugnatam religio-  
„ nem adversus impios tuemur; quæ ut  
„ dissolveret callidus homo, primum ra-  
„ tiunculis usus, quarum tota vis in gra-  
„ tia verborum & eloquentiæ imagine,  
„ sensim venit ad illas argutias, quibus  
„ olim Christiana religio apud dicaces in-  
„ fideles scurriliter traducebatur. Nihil  
„ nobis reverendum, nihil sanctum, quod  
„ non luderet urbanus Evangelii obtre-  
„ ctator, impietatem ideo salibus con-  
„ diens, ut venenum cuius horror esse  
„ posset si solum, voluptatis societate ad  
„ gustum accedens sumeretur fidentius.  
„ Sic exhileratis animis ita postea differuit  
„ de Christo ut ipse Julianus Apostata de-  
„ fersionis suæ crimen diluens, & Lucia-  
„ nus in DEUM facetiis atrox, impietate  
„ vincerentur. Interea per vices auditio-  
rum

rum risu incitabatur scenica viri elo-  
quentia, laudem ex sacrilegio captans,  
& quam placeret cachinnatione admo-  
nita semper in progressu impudentior.  
Finito sermone qui propiores novitio  
homini fuerant, blande petierunt, quid  
sibi de doctrina ista videretur? sed anxiæ,  
nec ad expectationem satis respondebat  
integræ adhuc conscientiæ minis prohi-  
bitus, ne tantæ impietati suffragaretur.  
Laudavit tamen viri in dicendo copiam,  
seque dixit amico multum debere, qui  
viam sibi præiisset ad honestissimorum  
Virorum (scil.) congressum & stupen-  
dæ eruditionis arcana. Non placuit per-  
plexa laudatio verbis ea arte dispensatis,  
ut nescires eam ne doctrinam mon-  
strum diceret an miraculum? frigidius  
ergo noctivagi abierunt, quam vene-  
rant, nec magistri facta est epiphanie,  
qui non nisi credentibus suum vultum  
exhibere solitus erat, ut & apud illum vi-  
sio esset fidei merces. Hæc mihi ab eo  
relata sunt, qui nocturnæ concioni in-  
terfuit, ita feliciter mixtus nequissimis  
viris, ut deinceps religiosior esset, impie-  
tatis

„tatis enim atrocitate commotus, & ex  
„periculo prudentissimus effectus, ne no-  
„men quidem Virorum fortium sine sto-  
„macho audiebat. Et post pauca narrat  
„Firm. Nuper vir religiosus nomine Ni-  
„con, unum ex istis obvium habuit in iti-  
„nere, qui ex ueste DEO sacrum agno-  
„scens, admotis equo calcaribus, ut velo-  
„ci oricurso ad eum pergeret, mox ut po-  
„tuit audiri; Et heus Tu religiose inquit,  
„mene nosti? cum ille negasset; Ego re-  
„tulit homo, Arrebatius vocor, eā vi men-  
„ris famosus, quam vos impietatem appell-  
„atis, & vos miseri, qui futuram vitam  
„expectantes presentem damnaris, &  
„a DEO qui (proh scelus!) nusquam est,  
„mercedem laborum praestolamini, hacte-  
nus Petrus ille Firmianus.

Qui cum horrenda adeò stupendaque  
de nefandis atheorum conatibus nuper  
prodiderit, non adeò miror, maximam  
quoque τῶν ἀγέων Tibi in peregrinationi-  
bus occurrisse frequentiam & varietatem.  
Cum (proh dolor!) abunde constet, o-  
mnia Mundi Regna hujuscemodi scatere  
tenebrionibus, & ubivis locorum innur-  
mera

mera ferè seculi hujus imò Dæmonis ipsius mancipia reperiri, empæctasque ne quisimos, omni studio carentes, ne vaticinium Petrinum II. Epist. III. diutius incompletum maneat, filiusque hominis sedem ullam neutquam reperiatur, nobis vero conjecturam omnino facientes, in novissima nos incidisse tempora, instareque antimycterissimum divinum, quo risus istos Sardonios summis Judex æterno fletu, stridoreque dentium infernali remunerabitur. Et quamvis nulla signa sive criteria indicaveris, quibus Tibi fuerint perspecti Atheti, ea tamen me fugiunt minimè; nimirum, Si (1.) omni occasione data negaverint aut indubium vocaverint supernaturalia, miracula scil. prophetias, apparitiones & operationes spirituum, cunctaque ad naturalem vim sympathias & antipathias, ad fictas crases, & pecunaria hominum temperamenta retulerint; (2.) Si Sacræ Scripturæ autoritatem tam in historicis, quam dogmaticis hominibus suspectam & contemptam reddiderint, eamque cum historiæ humanae luce, ratione item ac scientia naturali

com-

commiserint, quasi cum veritate pugnaret veritas, & huic eruditionem omnem speciosè contulerint. (3.) Si metum omnem & justam sollicitudinem omnibus excutere laboraverint, nil nisi securitatem atque hilaritatem provocaverint. (4.) Si à cunctis animarum pastoribus abhorruerint, eos tanquam styges aut aves infelices passim declinaverint, immo communia saltent vulgi mancipia in sermone familiari nuncupaverint, ad Bodonis istius Prætorii exemplum, qui (tradente Clasenio Rel. Pol. c. II.) asserere non dubitavit; *se imperitiores in Mundo non vidisse homines quam Sacerdotes, quod inepto & stolido inserviant vulgo, eiq. variis concionibus de Regno Christi DEI cultu, divina vindicta & eterna damnatione os oblinient.*

O execrandum hominis maleferiati judicium! Idne vulgo servire dicendum, cum quis legitimè vocatus, populum Christi erudire, vel ut B. Ambrosius loquitur, salutibus verbi divini epulis pascere jubetur? (5.) Si Atheismos aliorum cupidè enarraverint, aut frigidam eorum rejectiōnem aut elumbē m̄ refutationem subjunxerint,

xerint, aut tanquam  $\alpha\lambda\nu\zeta$  quædam & admirandas subtilitates in medio reliquerint. Attamen (6.) religionem aliquam strenuè simulaverint, & gravissimè contra eos, qui atheismi ipsos insimulant, contestatfuerint. (7.) Si publicas atheistorum & atheismi impugnationes ægerrimè tulerint, omnesque de atheis sive in thesi, sive in hypothesi dissertationes ferre nequiverint. Si (8.) denique religionem ac pietatem, (quam titulotenus præ se ferre videntur,) nunquam aut raro ac parcè admodum exercuerint.

Quamvis verò ex istiusmodi signis sive criteriis ( à Gisberto Voetio Disputat. Select. part. I, p. 138. & 139, potissimum observatis,) non exactè semper deprehendantur athei, suspiciones tamen aut præsumtiones inde facilè desumuntur, ut tanto melius nobis caveamus, aliosque incautiores præmoneamus. Neque verò quod principio notandum, seorsim accipienda sunt ista *παρηγεια*, neque turpi atheismi stigmae temerè notandi ii, quorum fides & pietas planè suadent contrarium, aut de quibus vel ex sola charitatis regula melio-

B ra spe-

ra sperari deberent, cum aliàs facilè provocetur ira & indignatio eorum, qui ad ipsas atheistorum & atheismorum voces earumque synonyms adeò commoventur, ut vix per ipsos liceat rudiores aut imprudentiores contra fanaticas ejusmodi vertigines monere ad Dei gloriam & animarum salutem. Magna etiam occurrit frequentia tentatorum, qui substitutis immotæ veritatis fulcris erigendi potius, quam horrisona atheismi voce statim exagitandi. Multa insuper alia sunt, quæ in excellentis doctrinæ hominibus sanos de religione sensus corrumpere solent, vero etenim simile est, eos, qui frequenter volvunt Gentilium libros, colore aliquem trahere profanitatis, à quo nescio annon ipse sibi aliquando metuerit Hieronymus, qui se narrat in somnis pro tribunali divino vapulasse, quod Ciceronian⁹ magis esset quam Christianus. Doctissimus sane Ciceronis interpres W. H. in literis ad J. M. (quarum *αὐτογεφον* Tibi quondam cum aliis summorum Virorum epistolis ostendi) eam ipsam ob causam de fide adeò infirma conquestus est, *ut confidere*

dere non posset, (verba ejus adscribo) se si  
necessè esset ultro sanguinem pro Christiana  
Religione profusurum; interpellantibus  
subinde philosophicis phantasias, quæ non  
tam ex philosophica doctrinâ extiterint,  
quam ab ipsa naturæ pravitate sibi inge-  
nerata fuerint, &c. neque eâ de causa ta-  
men atheismi accusarem Virum de re lite-  
reria longè meritissimum. Deinde Chri-  
stianorum etiam scripta comparanti, quo-  
niā mirabilis est temporum inter se at-  
que dogmatum dissensio, (nam & hære-  
tici Christianos censeri se postulant, nec  
desunt nævi sui etiam sanctis,) facile pos-  
sunt suboriri dubitationes. Minimè verò  
Te latet Meibomî excell. multos etiam  
magnæ eruditionis famæq; Viros, atheis-  
mi nomine ipsis professionis suæ sociis su-  
spectos fuisse. Neque enim fieri potest, ut  
homo cupiditatibus actus, legens Scriptu-  
ras sine timore & amore Dei, & eligens  
ea, quæ suæ libidini putat se posse subster-  
nere, non incidat in ea, quæ ipsius appeti-  
tui repugnant; ibi se exserit γογγυσμὸς καὶ  
Ἄγλωτισμὸς, murmuratio & disceptatio,  
quibus telis torquet Scripturas à fano in-

tellectu in propriam perniciem. Quod  
 quum facit, evadit is, qui in scripturis nun-  
 cupatur irrisor, *ερωταῖς*, atheistus, cuius est  
 omnem veritatem redargutionem ac de-  
 monstrationem irridere & eludere. Cum  
 insuper Viri alioquin doctissimi absurdis  
 quibusdam suis philosophematis ita in-  
 dulserint, ut sive scientes sive infici nimis  
 um scepticis Lucianis atheistisq; concesse-  
 rint, accidit, ut in profundissimum atheisti-  
 mi barathrum (proh dolor!) ipsi tandem  
 ceciderint. De Cæsare Cremonino non  
 ignobili Philosopho Patavino disertis ver-  
 bis Jo. Imperialis in Museo Historico pag.  
 174. testatur, *eum deteriores & reproba-*  
*tiores de rebus physicis sensus acrius defen-*  
*disse, quam orthodoxæ fidei alumno licet,*  
*divinos nimirum hominum spiritus cum*  
*brutis communes fecisse, corruptioniq; ob-*  
*nuxios reddidisse vesano rationis ausu,*  
*quamvis causam Cremonini adversus Im-*  
*periale strenuè egerit Paganinus Gau-*  
*dentius in Diatriba Historicâ de Cæs. Cre-*  
*mon. Julio Pacio & Jo. Barclajo, libro de*  
*evulgatis Romani Imperii arcanis annexâ.*  
 De Henrico Nicolai, qui post Davidem  
 Geor-

Georgium circa Annum 1556. nova sua themata & paradoxa Amstelodami disseminare cepit, ac se Christo pariter ac Mosi palam præposuit, videndus est Henr. Antonii Prof. Franequ. in Præf. System. Theol. & Jo. Hornbek in Summa controv. Lib. VI. p. 393. Nec minus de Bernardino Ochino Senensi, postquam Dialogos suos (in quibus summa fidei mysteria prorsus scepticè disputantur, ac sub alienâ persona subdole & astutè impugnantur,) in lucem edidisset, multa multi sunt suspiciati. Extat H. Bullingeri de Ochino isto memorabile testimonium Anno 1567. scriptum, & à M. Zuerio Boxhornio in appēd. Hist. univers. 74. luci expositum: *De Bernardino Ochino paucis hoc dicimus, habitasse illum aliquot annos apud nos Tiguri posteaquam rediisset ex Anglia; tandem verò clandestinā adjutum Italorum quorundam (quemadmodum & ipse Italus erat) opera, suos illos lingua Italica scripsisse Dialogos, quos conversos in linguam Latinam opera Italorum ut ajunt quorundam, insciis Tigurina Ecclesiae ministris Basileae per Italum quendam ipsi admodum*

familiarem & amicum excudi curavit.  
Quod quamprimum hic innotuisset, admo-  
nitus est ejus rei ampliss. Reip. Basil. Senatus,  
is protinus cum Typographo expostulavit,  
& ne ulla amplius Dialogorum exempla di-  
straherentur mandavit, quæ alibi quoq;  
loco admodum celebri igne sunt cōcremata.  
Expostulatum est Tiguri quoq; à Pastoribus  
cum Ochino authore, ceterum cum ille quo  
se legitimè excusaret, nō haberet, neq; de iis  
quæ evulgarat disputare vellet, dimissus à  
Senatu, ac solum vertere cum omni sua fa-  
milia jesus est. Hinc fortè authori Relig.  
Med. Thomæ Broune nata suspicio, quod  
Sect. XIX. disertis verbis Bernardino isti  
Ochino horrendum de Tribus impostori-  
bus fœtum tanquam compari parenti at-  
tribuerit: quamvis verò de eo jure meri-  
toq; in Scrutinio dubitaverim; non me-  
liorem tamen Ochino Cardanum dixero,  
cum Lib. XI. de Subtil. Leges quatuor re-  
ferat, nempe Idolorum, Judæorum, Chri-  
stianorum & Mahumedañorum, pro qui-  
bus omnibus cum nonnulla argumenta  
retulisset, iis palmam concédere videtur,  
qui prævaluerint armis, sic enim totum

con-

concludit negotium: *Verum res ad arma  
traducta est, quibus plerumq; major pars  
vincit meliorem. Igitur his arbitrio vi-  
ctoriae relictis, ad provinciarum discrimina  
transfemus.* Ubi jure Scaliger exerc. 158.  
illum reprehendit his verbis: *Tibi vero  
quis cuiusq; modi, sectaq; animus sit vel  
præs; vel manceps, perfacile verbis istis o-  
stentasti.* Sic circa annum 1540. Antwerpia  
vixit scandularius aliquis, vulgo Loy  
dictus, unde qui istum sequebantur, Loi-  
stæ appellati, qui doctrinam Libertino-  
atheisticam inter cives disseminavit, nega-  
ta resurrectione, inferno, &c. & inde per  
Germaniam, ubi cum Melanchtone præ-  
sente Lutherò disputavit, deniq; reversus  
Antwerpiam, & aliis & sibi causa ultimi  
supplicii extitit, tradente Meterano Lib. I.  
Hist. Belg. Quæ de Politiano, Hermolao  
Barbaro, Mureto, Lipsio, alijsque literato-  
ribus aut Poëtis non paucis referuntur, an  
Lucianismi aut Epicureismi eos suspectos  
reddant, dicere haud conabor. Nolim ta-  
men simile, quid de Erasmo suspicari, aut  
Lucianismi eum cum quibusdam Jesuitis  
accusare, Aliud sanè in illo fuit religio-

nis, lectionis sacræ, & rerum divinarum studium, uti opera ejus præclara satis teſtantur. Et quamvis appareat, illum in negotio Religionis nimis fuisse Politicū, nimis subindē in doctrina de Trinitate ſcepticum, hinc tamen nullo modo illum ſive Lucianum nuncuparem, ſive atheum aut omnis Religionis contemtorem.

Neque verò silentio prætereunda sunt duo ſummorum atque præclarissimorum ingeniorum vitia; Alterum CURIOSITAS est, ſive immodiça (ſupra quām ſolita hominum ſolertia admittit) ſciendi agēdiq; ſitis, quæ non abjecta vulgariaq; ambit ingenia, ſed quæcunq; acumen, memoria ratiocinatio, aut omnino vis quædam ignea ornavit. Neque certè invita ſe inge-rit, ſed bonorum eruditorumque plauſibus introducitur. Quotquot enim ſunt li-teris, ingeniisve præfecti, ubi elucere di-vinos quod ajunt, igniculos vident, ex omni materia fomenta congerunt, ac fau-ſis acclamationibus & felicissimis omni-bus, nec non varia videndi, audiendi, di-judicandique ſegete mentis rasam tabu-lam opplent, ut jam vix ſui capax diduci & in

in omnes Terræ plagas extendi concupiscat, Quà prima variarum diversarumq; opinionum imbibitione simplex adhuc & pura hominis charta maculatur, eiique eripitur veritatis unio & rectitudo, ac in profanas infinitasq; fabulas dilatatur, imò (quod maximè dolendum) fidei etiam Religionisque candor & simplicitas convellitur, ratiocinationes quæstionesve substituuntur, auferuntur pudoris innocentia & verecundia, frons audax & confidens infertur, tūm quicquid pium ingenuum, purum ex favore divino angelorumque contubernio adest, exhibilatur & serpentina astutia, temeritate, ac nefanda adeò incredulitate commutatur, ut nulli auctorati, nulli antiquitati, nulli apparentiæ, imò vix apodixi ulli fides amplius habeatur. Fieri præterea non potest, quin intanta rerum diversitate plurima displiceant, imò alia atque alia se mutuo expellant, quibus dum animus curiosus vel dijudicandis, vel conciliandis controversiis occupatur, partium importunitate & pertinacia offensus paulatim fit alienior, & dum subinde ab his illisve semet segregat,

B 5

vix

vix ubi subsistat, quove fugiat, reperit. Inde tertium aliquod & ab omnibus separatum concipit, summo equidem ausu, & immensa mentis voluptate, sed sine neutrā exoptato, magno pietatis detimento, atq; ingenti animæ periculo. Alterum magnorum Ingeniorum vitium idq; frequentissimum est pestifera carna-  
lis S. NGULARITATIS affectatio, qua acci-  
dit, ut plurimi quāvis via modo non tri-  
ta & vulgari incedere velint, ardua quæq;  
imò planè impossibilia moliantur, nil nisi  
quintessentias parturiant, imò vix absti-  
neant, quin majus aliquid homine perpe-  
trare, & aliis vel intacta, vel infeliciter ten-  
tata expedire in animum inducānt. Jam-  
que Archimedes, Architas, Dædalusq; ce-  
rebrum, & quadrare circulum, alas appli-  
care jubent ut evoles, & si quis promptius  
auscultat, illum etiam ingeniorum stimu-  
lum *perpetuum mobile* aggredi hortantur.  
Talem inflatum vanitatis utrem notavi in  
Scrutinio pag. 52. cui forte jungere possis  
Paulum Casatum Jesuitam, qui libro pe-  
culiari anno 1658. Romæ edito, *Terram*  
*machinis motam* ostendere, & Archime-  
dem

dem terræ motionem spondentem ab arrogantiæ suspicione vindicare laboravit. Huc etiam pertinet ferox & indignus omnium Doctorum virorum donorumq; divinorum contemptus, admiratio sui, simplicitatis fastidium, nova denique reperiendi prurigo. Hæc omnia quantam pernicem creare possint pietati, tum in se manifestū est, tum exemplo suo monstrat doctissimi viri quamplurimi. Quorū alias non dubitavit Pindari lyram cytharæ Davidis præferre; alias eum qui Paulinas epistolas interpretaretur, nūgis studere asseruit Viro gravi indignis; alias manifesto perjurio Romulū coluit pro Christo, natalem Urbis, pro natali Salvatoris; alias Christianum se esse, etiamsi nulli se Christianorum cœtui applicaret, posse creditit. Qui tamen detestanda atheismi labe fortè non adeò correpti pariter ac corrupti fuere, quam pessimi illi MACHIAVELLI-STARUM seu Pseudo-Politicorum filii, qui omnem Religionem ad politicas artes referunt, & qui Petro Firmiano teste, Religionem autem utilissimam Generi humano fabulam, quæ continenda plebi inventa,

venta, hoc solum à Sapiente obtinet, ut faciēre nus patiatur se Christianum haberi, de cetero liber, & ea, qua populus stultissimè facit sapienter ipse facturus tanquam Legibus iussa, non tanquam DEO grata, in Sec. Gen. pag. 167. Existimo de Religione eos ita statuere ut de Comœdiis, in quibus talem quisque personam assumit, quam & sibi convenire & à se debito more geri posse novit, ut sic Principes ac Magistratus eam amplecti deberent religionem, quam & statui suo conducere, & suo judicio congruere intelligant. Ut adeò Joh. Lensæus, Theol. quondam Lovan. Lib. XII. de Libert. Christ. cap. 18. non malè judicet eos, quamvis Religionis tenuem quandam speciem præ se ferant, Nulli tamen Religioni studere, & addictos esse ex animo, nec se se Religioni, sed sibi potius religionem accommodare, ut eam sequi velle, vel non repudiare videantur, cuius sectatores usui sibi futuros intelligent. Coram imperitis quidem Religionem laudant summoperè, & undiq; conquisitis ita extollunt encomiis, ut credas in Sanctorum confessu istos homines eruditos,

ditos, nec ipsis quicquam charius esse re-  
ligione, ast erga alios intrepidè fatentur,  
quid de ea sentiant, Religionem scil. sal-  
tem esse vinculum, quo vulgus hominum  
coérceatur, esse frœnum quo perdotmen-  
tur rebellium insultus, esse metum quo  
deterreantur à delictis illi, qui legum vi &  
comminationibus à peccatis prohiberi  
non poterant; esse terrorem, quo percel-  
lantur, qui Magistratūs authoritatem non  
adeò magni aestimant, esse nexum quo  
amor subditorum cum Imperantibus de-  
vinciatur; esse compedes affectuum, qui  
eo rectius compesci poterunt, si ostenda-  
tur religionem id jubere, id velle, & ad id  
quemvis hortari, & cum Religione nihil  
altius aut sanctius aestimetur à vulgo, esse  
unicum medium, quo quidvis ei svaderi,  
quidvis excusari queat, ut vel maximè im-  
pia facinora defendere liceat, modo è sin-  
gulari quodam Religionis zelo facta per-  
hibeantur. Sic Petrus Firmianus de Theo-  
crito suo ( quo nomine nefandam Atheo-  
rum designat colluviem,) *Omnes omnino*  
( scribit ) *Religiones ex opinione esse indu-  
biè putat, & Principum industria in sub-  
diuum*

dium Legum inductas, ut mortales quibus  
præceps ad noxia impetus, si aut ratione  
ipsa, aut reorum certissimis pœnis ad re-  
ctam vivendi normam cogi non possent,  
saltē Numinis amore coercentur. in-  
Gen. Sec. pag. 165. Quis itaque Bernardi-  
num Vetus Minorit propterea culpa-  
verit, quod in Speculo suo veræ falsæque  
Ecclesiæ, voces Athei & Politici pro syno-  
nymis habuerit, & Lib. IV. cap. I. art. 2.  
pag. 95. eos ita descriperit: *Sunt proh do-*  
*lor hodierno tempore quidam ipsis Ethnicis*  
*longè peiores, & magis impi, qui utpote*  
*Plato Hermes & alii plurimi, DEO reve-*  
*lante, & ex naturalibus causis DEVUM*  
*unum effectorem omnium agnoscebant, ve-*  
*rūmisti Politici eo dementiæ per venerunt,*  
*ut DEVUM esse prorsus negent, nec ullum*  
*post hanc vitam virtutum vel honorum*  
*operum præmium, vel malorum punitio-*  
*nem fore asserant.* Et post pauca synony-  
miæ istius rationem exposuit his verbis:  
*Dicuntur autem Politici ex eo, quod quis*  
*DEVUM esse negant, etiam non ob DEL timo-*  
*rem vel inferni pœnas à malis abstinent,*  
*vel ob DEL amorem & aeternam vitam bo-*

na aa

na agunt, sed solum propter externam politiam, sua opera exterius agunt, ut vel laudentur, vel ipsis bene sit, & à malis exterius abstinent, ne alii ipsis noceant, vel ne Rempublicam turbent, non curantes qualiter cunḡ, pessimè in occulto agant vel in corde afficiantur. Et Jesuita Lorinus ad cap. XIX. Actor. pag. 780. tales vocavit *langvidos Catholicos*, qui & alio nomine, à Pontificiis dicuntur *politice Catholicī*, qui nempe (verba sunt Adami Conzen. Lib. I. Pol. cap. I. p. 4.) *pro vera Republica & legitima πονηρότατι*, b. e. *impiorum perditorum ac nefandissimorum hominum civitatem extruunt*, quibus Patrum seculo, facem, quam multa Regna adusta *Nicolaus Machiavellus prætulerit*, quem alibi factionis hujus Patriarcham salutavit. Atque his quidam inter Pontificios & cum primis Vitus Erbermannus Jesuita in Iren. Cath. c. 5. accensent Jacobum Augustum Thuanum; ex Libris (scribit ille p. 78.) *historiarum nemo eum jure catholicum dixerit, legimus & nos eum olim à capite ad calcem, sed in negotio religionis haud paulo periculoſiorem invenimus,*

quam

quam ipsum Calvinistam Sleidanum , atq;  
etiam non cum perniciosissimo plurimo-  
rum experimento idem cerneretur. Quam-  
vis verò haud magni facienda sit ista Er-  
bermanni accusatio , cum ordinario hoc  
sæle Jesuitæ perfidare soleant omnes Ro-  
manæ curiæ hostes atque adversarios , id  
quod suo etiam exemplo non ita pridem  
P. Suavis docuit , quem Pallavicinus satis  
temere in primo introductionis suæ ad  
Histor. Conc. Trid. limine nuncupavit  
atheum ; è Reformatis tamen de eâdem  
Politiorum secta conqueritur Sibrandus  
Lubertus in dedic. Libri contra Faust. So-  
cin. Maxima ( ait ) pars hominum sinistre  
judicat de laboribus & curis , quas Docto-  
res in explicanda & defendenda doctrina  
Christianæ ponunt , multienim religionem  
tanquam inanes fabulas & terricula-  
menta ad hominum animos percellendos  
excogitata rident & subsannant : hi pu-  
tant omnes contentiones de dogmatis Chri-  
stianæ doctrinæ tantum esse logomachias ,  
& quia ipsi in corde suo omnem religionem  
rident , eamq; nullum alium ob finem præ-  
tendunt , quam ut emergant , suis animis  
meti-

metiuntur aliorum animos, indignanturq;  
ac fremunt, cum vident aliquem esse, qui  
ipsorum cupiditati subservire judicioq; ap-  
plaudere recusat. Tales an in nostro, hoc  
est, orthodoxo cœtu inveniantur, aliis  
longè doctioribus atque prudentioribus  
relinquo dijudicandum. Memorabile sa-  
nè ipsius B. Lutheri extat vaticinium, post  
beatam ejus analysis in Museo repertum,  
quod tale: *Adest Tempus olim prædictum,*  
*quod post Anti-Christum revelatum esset*  
*homines futuri, qui sine DEO vivarent,*  
*unusquisq; secundum suas concupiscentias*  
*& illusiones. Nam Papa quidem fuit su-*  
*pra DEV M, nunc SINE DEO omnes agere*  
*volunt, & cum à Legibus Papæ liberi sint,*  
*volunt etiam à Lege DEI liberi esse, nil nisi*  
*POLITICA sequi. Eâque de causa etiam*  
Brentius in Scrut. laudatus, scribere non  
dubitavit, inter Christianos innumeros  
Sectatores & Successores Sadducæorum  
reperiri.

PRIMAM verò atque Generalem pesti-  
feræ istius arboris radicem illustris Veru-  
lamius esse existimat *plures circa Religio-*  
*nem divisiones, nam unica divisio* (scribit

C

Serm.

Serm. fidel. XVI. Opp. pag. 1166.) *Zelum  
natriusq[ue] partis adauget, verum numerose  
atheismum introducunt; nimirum, si pro-  
fana seculi mancipia variarum Religio-  
num sectarumque professores alloquan-  
tur, & unumquemque eorum affirmare  
audiant, quod ex illius parte stet veritas,  
pro quâ mortem subire paratus sit, alios  
verò falsitatem & mendacium sectari, inde  
concludant Prothei illi, melius esse nihil ex  
iis, quæ ad religionem spectant quam ali-  
quid credere, quibus enim inquiunt potis-  
simum credere debemus, an Evāgelicis, an  
Reformatiis, an Arminianis, an Anabapti-  
stis, an Socinianis, an Pontificiis? cum  
omnes veritatem sese habere atque pro-  
aris & focus illam tueri afferant. Ast ini-  
quissima ò Meibomi agendi ratio est, ex  
aliorum affirmatione aut negatione su-  
spendere religionis veritatem. Dicant alii  
se veritatem tenere, & hi, & isti, & illi, ve-  
rum quid tūm? ergò incerta est veritas?  
nec ullibi tām certa erit, quin alii insur-  
gent, & multi, imò & potissima hominum  
pars, qui reclamabunt. Sume rem Tuam  
aliquam terrestrem, quam certain habeas*

Tuam

Tuam esse, an ideò cedes, si fortè quis-  
piam vel multi etiam controversiam mo-  
veant, falsissima ergò est illa assertio, quod  
nequeat constare veritatis certitudo ubi  
alii obloquuntur. Sed dicat aliquis, inter  
Christianos dissentientes nondum ullo  
~~avauapn̄t̄w~~ judicio est decisum à quorum  
parte stet veritas, fiat conclusio: ergò ne-  
scitur inter Christianos à quorum parte  
stet veritas. O abominandam thesin, o-  
mnem uno iictu religionem & Ecclesiis, &  
hominibus profanè auferentem! Hinc  
est, quod multi inveniantur, qui cum nul-  
la Christianorum secta communicare, ve-  
rum omnes ad singularitatis suæ regulas  
reformare velint; Neque ex alio fonte  
manavit, quod author Irenici Irenicorum  
(non ita pridem in Belgio editi) tale de-  
hodiernis Christianorum dissentientium  
sectis tulerit judicium: *Cum sine dubio  
nosse desideres Lector, quis sim, & quomodo  
reformationem Christianismi præterea in-  
stituendam esse putem? breviter ita habe:  
me nec Lutheranum, nec Calvinianum,  
nec Remonstrantem, nec Gracum, nec Pon-  
tificum, nec Socinianum, nec Mennon-*

C 2 tam,

tam, nec ullum alium ex hodiernis sectis  
esse hominem. Interim Ecclesiasticos con-  
ventus non prorsus aversor, neq; Sectam  
Christianorum ullam; cum aliquid boni  
tamen apud singulas invenerim, adeoq;  
per ipsas omnes profecerim, à fratribus  
scilicet Bohemis & Lutheranis accipiens Re-  
formationis & Libertatis Christianæ ini-  
tiū, à Calvinianis primum Rationis u-  
sum in Theologia; à Remonstrantibus pro-  
gressum in libertate conscientiarum, à  
Gracis veritatis antiquæ reliquias cum Bi-  
bliis ipsis & Patribus, à Pontificiis operum  
bonorum necessitatē cum Patribus non-  
nullis Latinis, à Socinianis judicandi dex-  
teritatem à Mennonitis demum vitam  
Christi rectius quodammodo non dicam ex-  
plicatam, sed adumbratam. Imo (ut men-  
tem meam clarius aperiam) omnes quoq;  
hodiernas Christianorum sectas sine ullo  
discrimine (stupescere qui legis!) ECCL-  
SIAS CHRISTI esse profiteor; eò quod o-  
mnes equaliter in Christum credant, Chri-  
stumq; pro Filio DEI capite & Domino suo  
recipiant & habeant. Eandem profectō  
tibiam inflant ii, qui magno impetu con-  
ten-

tendunt, posse Christianum orthodoxum,  
quem contigit sive nasci, sive habitare in  
cœtu impuris dogmatis contaminato, &  
inculcante ista dogmata tanquam necessa-  
ria ad salutem, permanere tamen corpo-  
re, quin immo ritu & ceremoniis publicis  
polluto illi cœtui adhærere: nec teneri si-  
ve ad contradicendum, sive ad deserend-  
dum etiam corpore & cultu cœtum il-  
lum, modo errores ipsos non approbet,  
neque assensu in agnitis perseveret; Cum  
tamen perversæ huic doctrinæ universus  
Prophetarum & Apostolorum reclamarit  
ordo. Etenim, qui interdixit omni par-  
ticipio rituum & dogmatum apud infi-  
deles, non distinxit inter hanc & illam in-  
fidelitatis partem aut appendicem, neq;  
permisit thuris jactum in altaria idolis  
consecrata, neq; ullum aliud signum cul-  
tus idololatrici, qui omni cultu idolola-  
trico interdixit. Clament conjuncta vo-  
ce Jesaias cap. LII. & Paulus Apostolus II.  
Cor. VI. *Nolite jugum ducere cum infide-  
libus, exite de medio eorum & separamini*  
*dicit Dominus.* Ipsa vox filii Dei clamat  
Matth. XVI. *Cavete à fermento doctrinae*

*Pharisaorum & Scribarum*, qui ipsi tamen multa sana, multa utilia docebant. *Pri-*  
*scorum Ecclesiæ Doctorum & Martyrum*  
*exempla*, quanto studio consortia het-  
erodoxorum devitaverint, huic accersere  
non est præsentis instituti. In isto deniq;  
luto è nostratisbus etiam harent quam-  
plurimi, quibus molestissimum est ita Lu-  
theri dogmatibus verbo Dei fultis adhæ-  
rere, ut nihil alienæ sententiaæ admisce-  
ant, quâ vel simplicitatem Lutheranam  
acuant, vel rigiditatem (quod ajunt) e-  
mollient, vel imperfectionem (quam fin-  
gunt,) absolvant. Placet igitur huic ad-  
dere subtilitatem reformatam scil. quâ  
Dei verbum humanæ rationi submitta-  
tur; illi Anabaptistarum sanctimonia, quæ  
profundissimum animi fastum tegat, alte-  
ri Svenkfeldianorum æquanimitas, quæ  
omnes animi raptus approbet, nonnulli  
Pontificiorum elegantissima scena, quæ  
cuncta vitæ commoda secum vehat; quin  
imò aliquibus Judæorum antiquitas, pa-  
ganorum felicitas, Turcarum facilitas,  
Arianorum loquacitas; Nam cui semel  
christianæ regulæ infantia displicuit, facile  
viriles

viriles masculiq; errores allubescunt, donec A T H E I S M U S religionum expeditissima subrepat, hominemq; tot dubiis controversiisq; refertum in solidum liberet. Satis opinor, inde apparet, primam atq; Generalem mali istius radicem non ipsas quidem circa Religionem esse divisiones, sed detestandas potius earum confusiones, mutationes item atque simulationes, quas cum impius ille Hominis Politici informator, in Scrutinio pag. 100. & 101. notatus, adeò commendaverit, ac simul discipulorum mentibus perniciosa levitatem instillaverit, nemo facile mirabitur, amphibios istos, vel potius omnium religionum homines, nulli addictos esse ex animo, verum nefandum potius in pectore suorum scriniis fovere Atheismum.

*Quomodo enim unquam (ita oportune Magnus Carpzovius ad L. Reg. cap. III. Sect. 5. n. 4. & ex eo Politicus sceleratus impugnatus p. II. & 12.) fieri potest, ut quis Deum sincere & ex toto corde diligat, qui diversas religiones simul fovere desiderat? Certissimum enim est neutram credere, contrarias qui admittit. Nec male*

Famianus Strada, *Animi*, (scribit Dec. H. de Bello Belgico) dum suspensi hærent per levipulsu buc illuc transferuntur, non minus quam quicquid pendet versatile est. id quod manifestè appetat (observante authore Polit. Scel. impugnatil. d.) in pessimis istis omnium religionum hominibus cum evenire nec soleat, nec possit quin mobiles illorum mentes, mox dubiae, brevi nullius efficiantur religionis, & tandem in omnium vitiorum extremum infernali expiandum cruciatu, prolabantur Atheismum.

Cujus pestiferæ arboris radicem haud incommodè etiam dixeris GALLIONISMUM, sive turpem cōtroversiarum Theologicarum, belli pennigeri & militiae spiritualis neglectum & contemptum; si nimirum Politicorum plurimi ad Gallionis istius (Act. XVIII. v. 12. seqq.) exemplum, curam Religionis curæ Regionis posthabentes, illius causam aut prorsus contemnant, aut quasi rem ad civiles Judices non pertinentem rejicant. Hinc Marloratus (Comm. ad locum istum) Multos, scribit, hodiè Galliones & Pilatos invenias inter

inter Proceres, qui vel odio aut contemptu religionis, vel animi levitate vel profanarum rerum studio religionis causas omnino audire nolunt ; Et Gallionismi nuper in Celeb. Acad. Argentoratensi hæc data est definitio : *Manet igitur Gallionismus Pseudo-Politicorum ars nova ex amelia atheistica seu supina ignavia potissimum suborta, controversiarum de fide & religione incuria & ignara exterius δοτού περιγυμνης ηγη λογομαχias pseudo-phantasia, pacis & simplicitatis corusca, reverâ tamen conscientiae carnificina, Ignorantiae asylum, apostasie mater, VIA ATHEISMU.* Facilè hinc colligere licet, quæ ratio formalis & quasi anima sit Gallionismi, nempe Sacrarum Controversiarum turpis contemptus, quo fascinati plurimi, omnes de rebus Sacris Disputationes plusquam Valentiano prosequuntur odio, & veluti non necessarias lites, imò vanas frivolas & noxias logomachias, prorsus aversantur. Huc cumprimis collimat, maleferiati cuiusdam Politici consilium, quod Dan. Clasen. in Rel. Pol. cap. XVII. p. 433. prodidit his verbis : *Pacem & cōcordiam obtinere posse*

test Princeps in sua Republica, si omnes lites, contentiones, & otiosas disputationes, quas Clerici excitare solent, acriter prohibeat; ex istis enim Disputationibus oriuntur diversæ partes, quibus diversi adhærent, atq; sic muluis erga se pugnis stimulati, diversa judicia, odia, convitia & calumnia nascuntur, que intestino bello nonnunquam haud exiguum prabent occasionem. Eapropter summis encomiis celebrant Magnum Moscovitarum Ducem, quod non concedat cuiquam ut de Religione disputet, & si quosdam contra hoc præceptum de Sacris rebus disputare animadverterit, ita eos puniat, ut loqui dediscant: imò ipsum quoq; Turcarum laudant Tyrannum, quod ex Mahometis instituto providè caveat, ne fides sua in dubium vocetur, si verò quosdam id conari intelligat, mox ipse quaestiones solvat acinace; De quo Imperat. Turcici instituto Politicorum quidam hanc tulit sententiam: *Si fidem Turcarum recte perpendo, stoliditas potius est quam fides, si religionis istius vim considero, magnum usum confert Statui Politico;* si Præceptum

ceptum de non disputando de fide altius in-  
tueor, salubre est illud; hoc siquidem pa-  
cto unitas Religionis per totum Turcarum  
Regnum retinetur, illudq; ab internis dissi-  
diis tutum præstatur. Etsi verò neutquam  
præfractè negarem, plurimas de rebus sa-  
cris disputationes, in acerrimas contentio-  
nes altercationesve (ab Apost. i. Tim. IV..  
5. meritò reprehēsas) degenerasse, ut exin-  
de nomen illud tantæ invidiæ expositum  
fuerit, quin & multas de fide disputationes  
è superbo promanasse spiritu; attamen  
omnibus hanc dicam scribere, omnes isto  
notare stigmate, adeoque cum sordibus  
ejicere infantem, nimis inhumanum, ni-  
mis barbarum, imò nimis impium extre-  
mæque dementiæ opus jure meritoque  
videri possit. Nec est, quod omnes de Re-  
ligione Disputationes adeò vituperent &  
traducant ii , qui Theologorum Refor-  
matorum quidem tituo ornati, satis in-  
terdum politicè de negotio Religionis  
sentiunt atque loquuntur. Magis certè  
politica, quam Theologica vox illa Parei  
est, in vestibulo Irenici pag. 4. *Quid (in-*  
*quit) tot profuere disceptantium Theolo-*  
*gorum*

gorum Colloquia atq; litigia; nisi quod infestioribus subinde animis discessum est, quam fuerat conventum, & acerbioribus dehinc scriptis lites de litibus fuerunt satræ & cumulatae, vulnera Ecclesiæ non sanata, sed exulcerata magis. Ast infelicitter sœpè (ita egregiè ut solet Magnus, & incomparabilis Theologus D. Joh. Cunr. Danhauerus in Illice & Ob. pacis Relig. cap. II. art. 2. pag. 87. scribit.) disputatum est, quia infideliter, non tamen ideo deserrenda bona causa, quia aliquando infelicitter pugnatum est. Tyrannus non raro bonam causam presit, & judicis sublesta malitia conculcavit, an ideo nunquam amplius vindicanda, afferenda? Equidem non cedit semper durities mentis uni alterive ictui, cedit iterato. Fieri potest ut bis serve elenchi ulro citroq; permittentur, tandem tamen vincit Alethea, & epistomium sequitur, cum vadimonii desertio sequitur. Si spes decollat, colloquii est ðvolvixia non adiuua. Calleat Arithmeticam, qui vult calculos ponere; ita Dialecticam, qui vult gladium verbi tractare. hactenus Celeberr. D. Danhauerus. Falsum deinde,

de semper nihil effectum esse sacris de fide Disputationibus ; Prosperè etenim cessit Origenis cum hæretico illo Berillo certamen, siquidem hunc adversarium lucrificat. In multis vetustissimorum Theologorum pugnis sæpen numero victi discesserunt hæretici. Victorius fuit Arius disputante Athanasio coram Probo Judice, id enim præceperat Constantius Imperator , & Probus ille Vir illustris orthodoxus evasit. Augustinus item & Pascentius super eadem quæstione disceptarunt coram Laurentio Judice, qui Augustino tandem victoriā addixit h. m. *Credatur honorifice unitati, ne injuria fiat Trinitati.* Idemque Augustinus cum Felice Manichæo in Ecclesia præsente populo, per biduum disputavit, verum in hoc ipso conflictu Felix se victum confitens, Augustinum victorem agnovit pariter & Manichæum damnavit. His adde, quæ de Colloquiis nostro & superiori seculo in causa Religionis habitis annotavit Celeb. Danhauer. loc. all. pag. 83. & 89. Et cum nulla commodior via, aut ratio sit ex abyssō ignorantiae emergendi & ad solidam veritatis cognitionem

tionem perveniendi, quam sobriis & piis de Religione Colloquiis, facilè apparet, quibus etiam causa sit imputanda, quod homines plurimi per ignorantiae & insciitiae vortices in abyssum atheismi quandoque detrudantur, musteis nempe illis muginatoribus, qui ad Gallionis exemplum, omnes de fide concertationes prorsus rejiciunt, contemnunt atque aversantur.

Nec minus culpanda est vanissima quorundam ac planè fatua de FATO sententia: Non pauci profecto eorum, qui Civitatem DEI jactant, in castris Gentilium versantur, dum præeunte Lipsio (Lib. I. Pol. cap. 4.) apertè contendunt, ab omni eternitate fataliter omnia destinata fuisse; etiam actiones ut idem addit, & quæ circa eas, adeò ut nullis consiliis vel auxiliis id vitemus aut mutemus. Imò nec consilio prudenti, nec remedio sagaci fatalem dispositionem subverti vel reformati posse; Mentem nimirum hominibus tunc adimere superam illam Mentem, ac ejuscunq; fortunam mutare constituerit, ejusdem consilia corrumpere. Adeundem planè

planè modum Pseudo-Politicorum Patriarcha Nic. Machiavellus ( Lib. II. de Rep. cap. 29.) à fato omnia dependere afferuit; & nuper admodum Comes quidam Italus de Flisco in dissert. de causis mutationum Sectarum Imperiorum & Regnorum Mundi ad Ludovicum XIV. Galliae Regem, &c. Fatis absolutum in Regna & Imperia dominium attribuit, *adeò ut neque (verba sunt Comitis) bona documenta neque Leges, neque prudentum sapientumque Virorum cōsilia sufficient ad impe- diendam Regnorum Rerumque publicarum destrūctionem.* Quid, quod Comes iste ex astrorum fatali cursu, mutationibus Tri- gonorum maximis, atque Planetarum conjunctionibus non de Imperiorum sal- tem, verum Religionum Sectarumque durationibus calculum ferre ausus fuerit, &l. d. pag. 46. scribere non dubitaverit: *Scio enim, quod hic numerus non multum abest à Secta Lutheri, proinde mutatio- nem expectet maximè cum incidat sub Tri- gono fundationi sectæ adverso;* Perinde ut Gentiles olim judicarunt, Religionem Christianam non ultra trecentorum sexa- ginta

ginta quinque annorum spatium duraturam, teste Augustino, Lib. XIIIX. de Civ. DEI, cap. 53. Conf. Baron. ad annum CCCXIII. Certem autem est omnes eos, qui fatis absolutum in Regna & Imperia dominium attribuunt, nullum aut exiguum divinæ providentiae, immo existentiae etiam locum relinquere posse, ut proin. Magnus Eusebius Cæsar. Lib. VI. de præp. Evang. cap. 5. egregie scripserit: *Qui factorum necessitatem esse credit, is aperte DEUM & providentiam negat, veluti e contra, qui Deum universis træsse putat, vim faterum omnino destruit.* Qui autem Deum negant (ita oportunè Magnus Verulamius l. alleg.) nobilitatem generis humani destruunt. Nam certissimum est hominem brutis cognatum esse, quatenus ad corpus: quod si quatenus ad animam non intercedat ei cognatio cum Deo vilis est planè & ignobilis creatura. Destruunt quoq; magnanimitatem, & humanæ naturæ exaltationem. Cape enim exemplum à cane & observa, quantos sibi assumat animal istud spiritus, & quantam generositatem

tatem induat, cum se ab homine, qui ei vice est Dei, aut melioris Naturæ,) impulsu  
perspiciat, quam fortitudinem liquido  
cernas tantam esse, quantam creatura illa,  
absq; fiducia melioris naturæ, quam pro-  
priæ, & quare nullo modo possit. Similiter  
& homo, ubi innititur & spem collocat in  
**DIVINA PROVIDENTIA & GRATIA**, fiduciam  
& vires colligit, quales humana natura sibi  
relicta nequisset attingere. Quare ut Athe-  
ismus in omnibus odium meretur, ita in  
hoc, quod privet naturam humanam fa-  
cilitate se ultra fragilitatem humanam  
attollendi. Hactenus illustris Fr. Bac<sup>o</sup>  
Verulamius.

Quantumvis v. idem d. l. opp. p. 1165.  
Philosophiae NATURALIS homines pa-  
rum in Atheismum inclinare putaverit,  
multos tamen eo nomine eruditis im-  
suæ quoq; professionis sociis suspectos fu-  
isse, in Scrutinio annotatum, ipsaque ex-  
perientia est comprobatum; Cum enim  
non pauci rebus naturalibus ita incum-  
bant, ut omnes earum motus, opera, pro-  
prietates & affectiones in causam natura-  
lem referre laborent, adeò ut nihil illis

D

supra

supra naturam esse videatur, saepe accidit,  
ut philosophorum plurimi Atheismo fa-  
verint, & in eum facilè inciderint. De  
Cremonino sanè disertis verbis Jo. Impe-  
rialis in Museo Histor. p. 174. scribit, *eum*  
*deteriores de rebus PHYSICIS sensus a-*  
*critis defendisse, quam orthodoxæ fidei alu-*  
*mno liceret*; De Hieronymo Cardano  
videndus Mar. Mersennus Comment. in  
Genes. pag. 602. conf. pag. 400. seqq. &  
Gisb. Voët. Dispp. Select. Part. I. pag. 198.  
Et nuper admodum ad manus meas per-  
venere Julii Cæsaris Vanini Atheorum.  
Aquilæ Libri de *Admirandis Naturæ Re-*  
*ginae DEÆ*, mortalium arcanis, in qui-  
bus author improbus Naturæ omnia (ex-  
cluso Numine) in solidum tribuere, canit  
Deæ instar colere & venerari, ac simul  
Regiam Atheismo viam sternere non du-  
bitavit. Ex quo fonte etiam manarunt,  
impia & detestanda cuiusdam Athei ver-  
ba apud D. Clasen Rel. Pol. cap. V. p. 66.  
*Quamdiu ingenio ac judicio meo uti po-*  
*tui, nihil dementius mihi quicquam vi-*  
*sum fuit unquam, atq; plerosq; docere :*  
*dari aliquem Deum, supremum Numen,*  
*cujus*

## RADICE.

51

cujus nutus fiant & regantur omnia. Quae  
sunt, NATURÆ vi ac operatione sunt;  
pluviam producit Natura, tonitrua &  
fulmina efficit Natura: Natura producit  
herbas & plantas, ad quarum generatio-  
nem tamen concurrit siderum influxus,  
qui tam necessarius est, ut aliter se res ha-  
bere non possit. Quæ ergo dementia aut  
simplicitas est, precari in Templo pro hoc  
vel illo agroto. Si Natura & præcipue A-  
strorum influentia valer diversimodè,  
nunc pluet, nunc serenitas erit aëris, pre-  
ces utiq; pluviam cœlitus non trahent; sic  
& agronus moritur, natura in ipso debili-  
zata, quamvis mille pro ejus salute orent;  
neq; credas tuam orationem agroto reva-  
lescenti reddere sanitatem. Interim se  
hæc fiant ad vulgus imperitum detinen-  
dum, non improbo consilium istud satis  
prudenter olim à priscis Politicis sugge-  
stum. Alias & doctis ista velle obtrude-  
re stultitia est. Nam quæso persuaderine  
potest Viro prudenti corpora nostra post  
mortem resurrectura: Corpus exanime  
resolvitur in sua elementa, usq; dum per-

D 2

veni

veniatur ad materiam primam, uti filii Physicorum loquuntur: hæc materia prima sit subjectum alterius corporis generandi, ut ita meum desinat & alterius insipiat corpus esse. Tunc & ego & alter habebimus unum corpus in resurrectione? nam posita principii identitate in corpore, ponitur identitas corporis ipsius, &c. Hæc homo impius, atque miserum Dæmonis mancipium. Quis itaque quosdam Philosophiæ Naturalis homines in Atheismum inclinare præfractè negaret? Quis cum B. Apostolo Coloss. II. in verba hæc gravissima non erumperet: *Videte ne quis vos decipiatur per Philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa Mundi & non secundum Christum?* Quis cum B. Hieronymo Epist. ad Magnum Orator. 146. & 2. ad Damas. Papam *Philosophiam Dæmonis cibum* nuncupare dubitaret? Accedit inordinatum studium nimiaque sollicitudo, quâ nonnulli ita capiuntur, ut solis experienciis nitantur, ne si quid absque prævia experientia credant, sese errandi exponant periculo, atq; decipiuntur.

tur. Non malè Petrus Firmianus in sec.  
Gen. p. 173. *Quanta (scribit) sit animi  
imbecillitas nihil eorum credere, qua si  
des proponit, evidentissimè apparet cui libet  
propius insipienti. Illene fortis ani-  
mus qui adeò carni incipatus est, ut nihil  
credat nisi quod retu-* *nt SENSUS, ita fal-  
sitati obnoxii, ut videre Te sapissimè persua-  
deas, quod omnino nō vides, & audire quod  
non audis? supra sensus ferri, ut ad veri-  
tatem, qua illis altior, accessus fiat, maxima  
est fortitudo; sed & ceriè præclarior, si  
suprorationem ipsam asurgas, ubi illa ir-  
rito labore ad confessionem sui adducta, &  
in ipso conatu deficiens, quid assequi non  
possis ejus viribus fatetur Tibi.* Eodem sti-  
gmate haud immerito notandi sunt qui-  
dam Chemicorum filii, qui sub Chemiæ  
larva imponendi artem profitentur, ac li-  
cet præclaram pietatem simulent, ple-  
runque (Viro quodam egregio teste)  
nullius sunt, vel sane tepidæ, & pro loci  
natura flectendæ, aut Patrono accomo-  
dandæ religionis. Hi præeunte Paracelso  
contendunt non esse difficilius, ut quis  
suscitetur, quam ut ex limo virtute Solis,

D 3 vermisi.

vermis, culex, rana, aut quidpiam simile nascatur, adeoque ex calore putredini mixto aliquem reviviscere posse. Sicuti admiratione non caret, quod ipse Paracelsus artem setenere indicaverit, quā veros homines absque opera maris & foeminae creeret, miratio industrii artificis chemici, en verba: *Dubitatum fuit à Philosophis num fieri posuit, ut extra uterum muliebrem homonascetur, ad quod ego respondeo, arti Chemie ac Natura id non repugnare, sed per facile esse. Nam prae in cucurbitula conclusa, vel lutara in equino ventre per dies 50. putrefactione summa putrefiat dum moveatur, quod facile est cernere. Post id temporis similis quodammodo fiet onechstnemu (h. e. embryoni) attamen circa corpus pellucida. Hanc deinceps si humano sanguine quotidie prudenter cibes seu alas, & in aquabili ventris equini calore conserves, ac forveas membris omnibus ornata instar infantis ex muliere nati apparebit, minor ramen quantitate. Hanc nos rem homunculum appellamus, qui postmodum tanquam verus puer seu infans accurata sollicitus,*

licitudine, ac diligentia educari debet,  
dum adoleverit. Hoc ex summis mira-  
culum unum est, adeoq; arcanorum o-  
mnium secretum maximum, quod tamen  
pygmais & Gigantibus jam olim fuit cogni-  
tum, ut qui originem hinc acceperint.  
Addit porro eos, qui ita nati sunt omnia  
arcana & abscondita intelligere, que alios  
homines scire impossibile sit, quia arte  
vitam, corpus carnem & ossa acquisive-  
runt, idcirco ipsis artes & scientia conna-  
scuntur, nec aliunde discere opus habent.  
Etsi verò de Paracelsi sensu & intentione  
temerè judicare, aut ipsum propterea  
atheismi accusare nolle, attamen cum  
Athei maximum inde impietati suæ præ-  
sidium polliceantur, ac teste Mersennio  
illum textum in suum sensum referant,  
. quilibet vel metacente intelligit, istud ar-  
tificium etiam quandam atheismi radi-  
cem esse nuncupandum. Habet euidem  
(ita nonnemo eleganter scribit) Pseudo-  
Chemia suam velut peculiarem religio-  
nem; nam quia Philosophiam omnem  
sive reformatum, sive perfecit, hoc etiam  
generosi addit, ut cum Theologia com-

binaret, & res sacras profanis, profana sa-  
critis exprimeret. Hac eleganti Harmonia  
quicquid volunt absurdii adstruunt, & de  
Deo, Angelis, de Miraculis, de RESUR-  
RECTI O N E mirificè argutantur, tantò  
licentiosius, quanto verbi divini consensu  
nihil opus habent, sed dixisse vel somnia-  
se inter credulos suos abundè sufficit :  
Nam qui hoc impetrarunt, ut credantur  
interno lumine splendescere, iis facilli-  
mum est suum illum hiantem gregem  
verbis insolitis pascere, cui hoc unum  
plausibile, credere incredibilia, scire in-  
certa, affirmare paradoxa, jactareq; im-  
possibilia, tantaq; obsequii est prompti-  
tudo, ut uno mense ab uno impostore  
plus persuasum, quam à Christo multis  
annis impetratum, aut ministris ejus cre-  
ditum liquido, deprehensum sit. Et quis  
non affirmante Scriptura opus Creatio-  
nis & resuscitationis DEO in solidum tri-  
buere mallet, quam putidis istis incertis  
atq; obscuris Pseudo-Chemicorum arti-  
ficiis? Et cum anima rationalis immorta-  
lis sit, quæ à Deo saltem pendet, corpus  
etiam hominis tale, ut alia via formari  
neque-

nequeat, facilè appareat nullam esse in toto mundo materiam, quæ sine patre atq; matre in hominem converti valeat. Væ autem istis hominibus, quorum collo utinam mola suspenderetur, & in Oceani profundum mergerentur, ne tantarum impietatum prosemminatores, plurimos homines à fide & religione ad *animis* & impietatem revocarent.

Nec satis deniq; deploranda est horrenda illa detestandaq; vitæ morumque corruptio, quæ haud pøstrema causa, ratioq; nuncupanda, cur magna adeò *τῶν αἰθίων* ubique occurrat frequentia & varietas. Huc sanè tendunt innumeræ bonorum exclamations atque querelæ ; Hinc (scribit Perkinsus in Scrut. laudatus Opp. Tom. II. p. 446.) Atheismus hujus Seculi, qui passim abundat nobis patefit; Deum enim contemnere & odio prosequi est purus putus Atheismus. Jam verò qui corda sua Deo subducunt, & se se huic mundo totos devovent, mandatis Dei oblitis , & eorum obedientia excussa, Dei contemptores , osoresque Christo judice habentur, horum verò plena sunt omnia.

omnia. Novi quidem hos homines ut Athei audiant valde indignari, nihil tamen refert, quantum à Mundo fiant, usque dum scelestos hos mores correxerint. Christus eos meliores non ducet. Et quemadmodum (verba sunt Cypriani) bona opera profitentur *DEVVM*, ita mala quodammodo loquuntur *NON EST DEVVS*, nec est scientia in excelsò, hinc S. Apostolus Tit. l. 16. profitentur se *DEVVM nosse* sed factis eum abnegant. Quà vanissima nudæ cognitionis præsumptione Evangelicorum etiam plurimi adeò sunt fascinati, ut in solo religionis nomine, solaque Christianismi umbra acquiescere, vera interim pietatis exercitia omnino negligerent vereantur. Hinc horrendæ istæ Christianismi nostri defectus, hinc infinitæ Theologorum bonorumque omnium querelæ: *Magni illi Christianismi nostri defectus* (ita D. Joh. Stegmannus Photinianis. *Prioxym.* II. pag. 739. ominatur,) sine dubio tantorum bellorum & paenarum, quas quotidie experimur cause existunt, & tandem nisi clementissimus *DEVVS* ignoscat atq; averruncet *EXTREMAM*


MAM novæ & piau PVRIORI RELIGIONI  
sunt allaturi. Huc etiam pertinent PIA  
DESIDERIA exquisiti Theologi D. Joh.  
Quistorpii Profess. Rostoch. quæ utinam  
(sic cum Max. Rever. Facult. Theol. Ro-  
stoch. opto, in publicam aliquando con-  
sultationem deducerentur, & conjunctis  
curis agerentur! Hinc denique ut apertè,  
quod res est dicamus, detestandus emer-  
git Atheismus, cui in rei veritate Pseudo-  
Christianismus noster exactissimè respon-  
det, observante etiam laud. D. Stegman-  
no l. a. pag. 744. Sine causa profectò di-  
cuntur Christiani, qui Christi vitam neu-  
tiquam imitantur, nisi forte novo quo-  
dam nomenclatore vocetur Atheus, ein  
Christ / Beanus, ein Artist / uti belle Joh.  
Val. Andreæ jocatur. Et nescio sane an-  
non hoc loco verbis D. Wolfg. Franzii  
compellandi sint quidam in orthodoxis  
etiam Ecclesiis ministri, quorum nimi-  
rum causa vel negligentia (verba Franzii  
sunt) vel inscitia male audire coguntur  
omnes reliqui ministri, quasi prohibeant,  
vel certè non satis urgeant bona opera.  
Non vacat jam locum exscribere inte-  
grum,


60 DE ATHEISMI RADICE.


grum, qui verae pietatis cura tanguntur, evolvant Theologi Disput. in A.C. thes. 4. de B. Opp. & cum stupore malorum istorum lernam graphicè descriptam inventent. Et quis perspecto seculi & patriæ cum primis nostræ Genio, cum probè docto quodam Viro tandem in hæc verba non erumpat: Nostri seculi (patriæ nostræ,) mores adeò degenerarunt, ut virtutis amplius habere homines nolint, sed ista cuiusdam virtutis specie colorent. FIDES EXULAT, opera sunt extincta, charitas proximi dudum frigere cepit, humanitas conversa est in rabiem, ut tanto zelo efferati inter se homines, quavis tigride reperiantur immaniores, cum tamen externè Christianos se esse simulent, utinam discamus & sapiamus! Neverò epistolæ Leges aut limites excessisse, vel commentarium quendam scripsisse videar, colophonem impono, Tuamq; Excell. divinæ clementiæ & protectionis alis involvo.

AUGUSTÆ VINDEL. IDIB. FEBR. ANNO  
GRATIÆ CIC LO CLXVI.











Hg. Hb. 2

ULB Halle  
002 631 199

3



5b

VDT





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9

